Vol. IX. — Fasc. X Mense Iulio 1953

MEMORABILIA SOCIETATIS IESU

Ad usum Nostrorum tantum

DE COLLEGIO S.TI IGNATII MARIANOPOLITANO

(Prov. Can. Inf.)

Collegium Sti Ignatii Marianopoli (Montréal) cum apertum sit anno 1927 celebrat nunc vigesimum quintum annum suae exsistentiae. Pro eius peculiari natura, hac data occasione, non erit abs re recordari quae initia habuerit quosque progressus et quis sit eius proprius scopus et character.

Primi conatus ad erigendam scholam quandam « apostolicam » inceperunt anno 1910, opera Patris L. Boncompain, sed res ad effectum deduci non potuit nisi anno 1927 postquam, divisa Provincia Canadae, Schola aperta est Marianopoli die 6 septembris in aula cantus nostrae paroeciae Immaculatae Conceptionis apud Collegium Maximum NN. cuius Patres et Scholastici ei benevolam operam essent praestituri. Primus eius Director simul ac Professor primae et tunc unicae scholae latinae fuit Pater E. Muller; pueri vero numerabantur 20.

Mox schola translata est in domum cuiusdam negotiatoris lactis et denique, anno scholari 1929, cursus coepti sunt in aedibus hodiernis. Post duos annos, P. Muller, cui praesertim debetur indoles supernaturalis Operis, in Sinas profectus est dum quattuor primi alumni Noviciatum ingrediebantur. Anno 1935, Collegium quod a Collegio Maximo NN. auxilium validum acceperat ab hoc factum est independens et ex eo tempore ad hunc usque diem ut ens autonomum vivere perrexit.

Collegium tradit cursum studiorum humaniorum sex annorum. Quo peracto, alumni possunt vel statim ingredi Noviciatum vel per

duos sequentes annos studia media superiora complere in uno e Collegiis nostris urbis Marianopolitanae.

Spatio horum 25 annorum, Collegium Sti Ignatii iam dedit Societati 106 vocationes, Clero saeculari vero 41 sacerdotes quorum 21 (quibus addendi sunt 17 Seminaristae) pertinent ad dioecesim Marianopolitanam, aliis autem Religionibus dedit 23 Sodales. Si hisce alumnis additur numerus eorum qui partem tantum suae formationis in Collegio acceperunt, tunc numerus Sacerdotum qui e Collegio provenerunt ascendit ad 190, talem scilicet propter quem similia Instituta iure Collegio Sti Ignatii invidere possint.

Inter rationes quae tali successui faverunt, venit iure ut prima ea quae dici potest « formula » propria Collegii. Dum enim Scholae Apostolicae generatim concipiuntur ut convictus, haec habet tantum alumnos externos. Simile est inde aliis Collegiis et eorum programmata studiorum sequitur. Sed in eam non admittuntur nisi alumni qui ita dotibus physicis, moralibus, intellectualibus pollent ut ad Societatis vitam apti fore videantur et iam actu possident aliquam inclinationem ad vocationem altiorem. Ut haec vocatio protegatur et promoveatur et ut alumni acquirant aestimationem et amorem profundum Societatis, cura specialis habetur de eorum formatione spirituali.


Auxilium necessarium simul ac stimuli requisiti non desunt his alumnis pro quibus Congregatio Mariana, anno 1928 fundata sub titulo Reginae Apostolorum, et directio spiritualis et spiritus totius Collegii omnia adiumenta praestant quibus gratia vocationis apud eos profundas radices in animis figere et ad maturitatem pervenire possit.



Congressus Superiorum Missionum Indicarum

Stant: RR. PP. I. W. Lange, P. Geisel, A. Coyne, I. M. Zambon, G. Conget, I. Henrichs, E. Goulet, A. Smetsers.


Sedent: RR. PP. A. Melpignano, R. W. Bohn, D. M. Gordon, A. R. P. Generalis, G. Mathias, C. I. Fasy, I. B. Moyersoen.



Sectio gallica Redactorum novi Glossarii sinici (PP. Deltour, Motte, Laplazie cum 3 Professoribus sinensibus).



Amstelodami (Hollandia), pueri serta appendunt lapidi cui est inscriptum: « 1785-1853 Natalis domus Ioan. Philip. Roothaan », die centenario eius mortis.



Lapis memorialis Patris Roothaan in ecclesia S. Nominis Iesu, Romae.

NOVUM GLOSSARIUM SINICUM PLURIUM LINGUARUM

In parva quadam Residentia urbis Taichung in insula Formosa ad tempus conducta, viginti circiter Societatis Patres et Fratres compluribus abhinc mensibus compositioni novi Dictionarii sinici incumbunt. Sinarum Missionarii enim in addiscenda lingua sinica magnis premuntur difficultatibus non solum ex ipsa natura illius linguae sed etiam ex defectu glossariorum quae eorum necessitatibus satisfacere queant. Dictionaria enim quae hodie in usu versantur vel sunt nimis antiquata, utpote ante 50 circiter annos edita, vel carent, quamvis recentiora, multis vocabulis (et praecipue catholicis) aut indicationibus utilibus. Cum autem nunc multi Missionarii e Sinis expulsi sint, opportunum visum est nonnullos eorum qui linguam et mores illarum gentium optime callent adunare ut collatis viribus Glossarium sinicum componerent.

Agitur vero de peculiari Glossario in quo singulae dictiones sinicae vertuntur in complures linguas sc. gallicam, hispanicam, anglicam, hungaricam, latinam, quibus pro opportunitate aliae linguae postea addi poterunt. Facile cernitur quot commoda inde oritura sint tum auctoribus, qui hac ratione tempori pecuniaeque parcunt et valorem criticum, ut aiunt, operis melius stabiliunt, tum Missionibus ipsis quorum unitati culturali et spirituali tale Glossarium non parum conferet. Notandum est insuper illud in lucem proditurum esse ut opus commune Societatis.

Ambitus glossarii: Scopus auctorum non est conficere librum qui glossariis specialibus et technicis substitui possit sed praebere instrumentum laboris sat completum quod requisitis vitae quotidianae satisfaciat et ubi « vir bonus » omnia vocabula utilia pro lectionibus et collocutionibus inveniat. Itaque non solum ratio habetur linguae classicae quae profundum influxum servat in mentem et linguam hodiernam sed praecipue exhibetur status actualis linguae sinicae non solum scriptae sed etiam oralis et vulgaris quam neglegebant viri litterati aliorum Glossariorum auctores. E vocabulis technicis, retinentur quae usui esse possunt viris qui studia media perfecerunt et, ut patet, vocabula catholica nunc in usu. Omnes caracte-

res subsequitur eorum transcriptio typis latinis (« romanisatio », ut dicitur) secundum systema « Wade » (cum sit maxime usitatum) et indicatione « toni » seu flexionis vocis. Ordo vocabulorum erit ordo alphabeticus in earum « romanisatione » qui, si minus « logicus » videtur, solus est qui repetitiones vitat.

Laboris fontes praecipui sunt magna glossaria sinica : Kuo Yü Tzu Tien, Tzü Hai, Tzü Yuan et optima glossaria europaea (Couvreur, Giles, Mathew's etc.). Tota haec materia primum relata est in 2.000.000 schedarum, quibus in ordinem redactis et praevia selectione facta, apparata est collectio 180.000 chartularum in quibus referuntur « characteres » sinici ad 15.000 et « expressiones » (seu compositiones characterum separatorum) ad 165.000 : eorum singulis adiunguntur tum glossae sinicae tum versiones occidentales. Ita facilis redditur pars maxime ardua et delicata laboris seu critica versionis : ubi vero indicationes non concordant, praeferuntur notitiae haustae e fontibus sinicis serio indagatis.

Laboris ordinatio : Singulae sectiones 5 linguarum (sc. gallica, anglica, hispanica, hungarica et latina) habent proprium musaeum, operibus lexicographicis et glossariis instructum. Labor incipit in sectione gallica. Unusquisque Pater adiutus a Professore Sinensi, linguam gallicam bene callente vertit expressiones sinenses in linguam gallicam. Postquam quaedam pars parata est, transmittitur ad aliam sectionem, hispanicam v. g. Hic quoque Patres Hispani, adiuvante Professore Sinensi, textum in suam linguam vertunt : eorum autem versio nititur quidem versione gallica sed simul eam crisi subiciunt et errores qui forte irrepserint colligunt. Deinde materiam totam cum suis animadversionibus remittunt ad sectionem gallicam ubi iterum examini subicitur et remittitur cum responsis ad partem hispanicam. Si quae dubia supersint, viva voce in communi discutiuntur. Post versiones in diversas linguas factas, Revisor in unaquaque sectione denuo recolit totam versionem et eius animadversiones ab omnibus sectionibus in crisim revocantur. Ita quantum humano modo fieri potest, periculum effugitur ne aliquis error remaneat. Insuper ope versionis in plures linguas deteguntur exiguae sensus differentiae eiusdem vocis sinicae et scopulus vitatur versionis nimis rigidae et ultra meritum securae.

Tempus ad materiam praeparandam schedulasque conficiendas ad duos annos productum est. Labor autem versionis cum sat paucis collaboratoribus durat iam unum annum cum dimidio; nunc vero aucto collaboratorum numero sperare licet intra annum opus fore absolutum. Deinde cogitari poterit de glossariis gemellis (e linguis occidentalibus in linguam sinicam) quae priore hoc opere nitentur tamquam fundamento securo.

CENTRUM APOSTOLICUM S. FRANCISCI XAVERII

(VProv. Chilensis)

Hoc opus apostolicum conditum est anno 1898 in urbe Santiago de Chile a P. Bartholomaeo Más, e Provincia Aragoniae (ad quam pertinebat tunc Missio Argentino-Chilensis S. J.) et sub patrocinio Sacratissimi Cordis Iesu ac S. Francisci Xaverii positum. Sub initiis, adiutorium praebuit pauperibus paroeciis regionis septemtrionalis nationis, sed postea curam suam extendit ad regiones extremas meridionales et 23° iam anno, sub directione P. Ambrosii Martí S. J., paroecias adiuvat in toto territorio Chilensi.

Adiutorium istud triplici modo exercetur: primum quotannis centrum subsidia pecuniaria paroeciis pauperibus mittit ut expensis tradendae institutionis catecheticae provideatur; deinde quotannis pariter pecunia adiuvat paroecias ut in eis promoveri possint Sacrae Missiones ad populum; denique suis temporibus ad paroecias gratuito mittit sacram supellectilem omni cura et arte confectam.

Auxilium constans seu ordinarium praestatur 256 paroeciis operi inscriptis, quae omnes non pauca sacella dependentia, praeter templum paroeciale, suis curis concredita habent. Sed aliis etiam paroeciis, ad petitiones Episcoporum et parochorum, subsidia confert extraordinaria ad construenda vel reficienda templa, ad Missiones vel Congressus celebrandos. Inde ab anno 1951 exeunte, subsidio venit Episcopis pauperioribus. Quadriennio 1948-1951 cura Centri habitae sunt in paroeciis quas iuvandas suscepit 1.630 Missiones, scilicet circiter 400 quotannis. Singulis autem mensibus expendit Cen-

trum 10.000, interdum 15.000 « librarum » chilensium et amplius, ut Missiones Sacrae fiant.

Congregantur in hoc opere piae mulieres nunc 71 numero, quae vires et pecunias conferre intendunt in munus apostolicum. Earum est necessitates paroeciarum (trium, quattuor, interdum septem) sibi commissarum detegere atque ut hisce provideatur apud Centrum, ex commissione parochorum, agere. Singulae linteamina vestesque sacras domi conficiunt ipsae vel confici curant; reliquam quoque supellectilem procurant. Eis nulla certa pecuniae summa eroganda imponitur. Sed praecipuum est ut eas zelus apostolicus possideat, cum reliquum sponte sequi soleat. Singulis mensibus adunatio celebratur ubi prius coram SSmo Sacramento orant SSmique Benedictionem accipiunt; dein rationem reddunt de laboribus mensis praecedentis atque praevidetur labor mensis sequentis.

Licet ordinaria activitas sociarum quasi occulte et silentio tecta evolvatur (sibi enim vitam Familiae Nazarethanae in exemplum assumunt), opportunis temporibus **expositio sacrae supellectilis** instituitur quo momentum apostolicum operis oculos et animos magis percellat ipsisque sociis incitamento sit ad perseverandum in bono incepto.

Ita peculiari modo splendida fuit exhibitio habita ineunte octobri 1951 in Collegio S. Ignatii urbis Santiago, quo tempore habitum est etiam Triduum Eucharisticum ad praeparandum Eucharisticum Congressum totius Nationis Chilensis postea habendum. Episcopi plures urbem Santiago adiverunt ut Triduo illi interessent atque praesentes exprimerent sociis et Directori Centri Apostolici suum gratissimum animum pro auxilio eximie apostolico pastorali curae praestito.

VARIA

Missiones Bombayensis et Ranchiensis eriguntur in Viceprovincias. — Duobus decretis datis die 23 aprilis, in festo B. M. V. Reginae Societatis Iesu, A. R. P. Generalis erexit Missionem Bombayensem in Viceprovinciam dependentem a Provincia Tarraconensi et Missionem Ranchiensem in Viceprovinciam dependentem a Provincia Belgica Septemtrionali. Hae duae Missiones enim iam satis evolutae sunt ut, quamvis sibimetipsis relinquendae nondum videantur, tamen propius ad Provinciae dignitatem evehi mereantur. Ex decretis erectionis quae historiam et statum praesentem Missionum illarum breviter describunt sequentia extrahimus quae notatu digna sunt:

Missio Bombayensis, olim in parte territorii posita antiquae Provinciae Goanae, post restitutam Societatem, anno 1854, curis Provinciae Germaniae commissa est, quae magno cum zelo eam curavit et promovit usque ad annum 1914, cum magnum bellum europaeum saevire coepit. Missio translata est ad Provinciam Aragoniae anno 1921. Ab eo tempore, Deo dante atque Patribus indefessam operam navantibus, rerum cursus qui ante bellum vigebat nova incrementa concepit ita ut anno 1934 pars territorii Missionis Bombayensis separari potuerit et in ea nova Missio Ahmedabadensis constitui.

Hodie autem Missio Bombayensis fere 250 socios proprios habet, quorum non pauci in ipsa eius regione sunt nati. Si domos existentes consideremus, possidet Missio Domum Noviciatus et Iunioratus, dirigit Seminarium Dioecesanum in eoque docet et Domum Exercitiorum habet. Praeterea plus quam 3000 alumnorum superioribus disciplinis instituit in iam antiquo Collegio Universitario quod ob praeclaros eius fructus plurimum aestimatur, novos ludimagistros parat in Schola Normali, 6 Collegia secundaria, quae dicuntur, numerat, ubi erudiuntur plus quam 6000 alumnorum, 10 Scholas inferiores regit. Insuper praeter 20 paroecias quibus providet, in parte directe missionaria sibi commissos habet 4 Districtus, in quibus numerat 6 Residentias exclusive missionarias.

Missio Ranchiensis autem quae ante adventum Patrum Provinciae Belgicae (1859) per paucos annos (1834-1846) ad Provin-

ciam Angliae pertinuit, praecipuum progressum habuit post annum 1885 opera Patris C. Lievens, adiuti a Patre Grosjean, Superiore Calcuttensi. Anno 1928, constituitur Dioecesis Ranchiensis, ab Archidioecesi Calcuttensi distracta et nuper (1951) altera pars eiusdem Dioecesis erecta est in Dioecesim Raigarh-Ambikapurensem dum quaedam aliae partes eius territorii novis Missionibus iam concreditae sunt, aliae mox concredendae praevidentur.

Hodiernae Missioni Ranchiensi quae 2 praedictas Dioeceses comprehendit, adscripti sunt 323 Patres, Scholastici et Fratres Coadiutores, quorum 59 ad alias Provincias pertinent. In eadem Missione, numerantur pro tempore 49 Sacerdotes dioecesani. Praeter Noviciatum, Iunioratum et Tertiam Probationem, ibi conditum est Seminarium dioecesanum cum 54 alumnis. In civitate Ranchiensi, ubi est Collegium Nostrorum et Schola Apostolica, erectae sunt insuper Facultates Universitariae cum Schola Normali, Schola Agriculturae et Schola Industriali, in quibus fere 1000 sunt alumni. In ipsa autem Missione iam sunt 8 Collegia alumnorum cum plus quam 2000 alumnorum. Per totam Missionem sparsae sunt innumerabiles Scholae inferiores. Missio ipsa divisa est in Districtus 9 habetque 46 Stationes cum 1 Domo Exercitiorum.

Duo decreta erectionis die festo Ascensionis D. N. Iesu Christi promulgata sunt et exinde vim habere inceperunt.

* * *

Congressus Superiorum e Missionibus Indiae. — In nostra Curia Romana, congregati sunt initio mensis maii, Superiores (vel eorum Delegati) Missionum Indiae et Ceylani. Ut scripserat A. R. P. Generalis in epistola indictionis data die 8 decembris 1952, scopus huius Congressus erat ut occasione Congregationis Procuratorum, illarum Missionum Superiores vel ii quos sibi substituissent, simul in Urbe adessent ad quaestiones communes disceptandas et solvendas. Ita die 2 maii inita est series colloquiorum quae protracta est usque ad 6 maii. Coetibus, quibus praesidebat A. R. P. Generalis, intererant RR. PP. Douglas M. Gordon, Provincialis Madurensis, Aloisius Coyne, Superior Bombayensis, Rudolphus W. Bohn, Superior Patnensis, Carolus I. Fasy, Superior Iamshedpurensis, Pius Geisel, Superior Poonensis, Ioannes Henrichs, Superior Calcuttensis,

Ioannes W. Lange, Superior Trincomaliensis, Gualterus Mathias, Superior Goanus, Ioannes Baptista Moyersoen, Superior Ranchiensis, Gregorius Conget, Delegatus Superioris Ahmedabadensis, Iosephus M. Zambon, Delegatus Superioris Calicutensis, Aloisius Melpignano, Delegatus Superioris Gallensis. E Secretariatu Romano Missionum aderant R. P. Eduardus Goulet, Secretarius Missionum et P. Alphonsus Smetsers qui acta Congressus conficienda curabat. E RR. PP. Assistentibus intererant etiam RR. PP. Van Gestel, de Gorostarzu et Bolland.

Die 6 maii, Patres Superiores adierunt audientiam generalem Summi Pontificis proximique steterunt eius throno. Summus Pontifex eos salutavit et ratione peculiari eis benedixit. Ad finem nonae et ultimae sessionis, A. R. P. Generalis gratias egit Patribus quorum laetus expertus erat ardentem zelum et mentium concordiam in prosequendo eodem fine apostolico.

* * *

In centenario obitus S. D. Ioannis Philippi Roothaan. — Die 8 maii huius anni occurrebat centenarius anniversarius dies mortis Servi Dei Ioannis Philippi Roothaan, XXI Praepositi Generalis S. I. (1829-1853). Hac occasione locum habuit Romae, die 7 maii, in ecclesia SS. Nominis Iesu **translatio eius reliquiarum.** Parva capsa metallica continens ossa et cineres Servi Dei custodiebatur hucusque in sacristia eiusdem templi. Nunc vero, de licentia Em.mi Cardinalis Vicarii, translata est in ipsum templum et posita in parastata sacelli quod dicitur Crucifixi (est secundum ad dexteram ingredientis). Caerimonia celebrata est hora 16.30 coram Tribunali Ecclesiastico Vicariatus Urbis ab A. R. P. Generali cui assistebant R. P. Van Gestel, Assistens Germaniae et R. P. T. Toni, Postulator Generalis S. I. Aderant nonnulli Exc.mi Praesules, Minister Hollandiae apud S. Sedem, Rectores et alumni complures Collegiorum religiosorum Urbis, Superiores et Procuratores diversorum Ordinum et Congregationum. Novus loculus cooperitur lapide marmoreo qui praefert imaginem Servi Dei cum inscriptione: « Heic reliquiae sunt Servi Dei Joa. Roothaan Praep. Gen. S. J. VIII Maii MDCCCLIII in Rom. Patrum Profess. domo pie defuncti ».

Festa celebrata sunt etiam in Hollandia ubi octo abhinc annis « Consociatio Patris Roothaan » (« *P. Roothaan Genootschap* ») a laicis fundata est ut Servus Dei a multis cognosceretur et coleretur. Sodales huius Consociationis promittunt se oraturos pro eius beatificatione, et acturos, etiam pecuniam colligendo, ut magis magisque colatur. Eodem die 7 maii Amstelodami, in Residentia Societatis « De Krijtberg » cuius ecclesiam Ioannes Roothaan adolescens frequentabat et ubi se vocatum sensit ad Societatem, inchoata est expositio variarum rerum quae ad Servum Dei pertinuerunt v. g. documenta quaedam de eius familia, de civitate Amstelodamensi tempore eius iuventutis, libelli duo « *De Imitatione Christi* » quibus usus est, epistolae ad familiares et ad Provinciam Neerlandicam (ab ipso erectam) vel autographae vel photographia expressae, exemplaria libri Exercitiorum Spiritualium et libelli « *De Ratione Meditandi* » quae ipse edenda curavit, crucifixus quem moriens manibus tenebat et alia varia permulta sicut orbis terrae descriptio ubi indicantur Missiones quibus ipse providit, imagines et picturae et nonnullae biographiae diversis linguis hoc saeculo conscriptae. Inter curiosa, notanda erat copia librorum qui tempore generalatus P. Roothaan sparsa sunt de « criminibus » Societatis et capillamentum quo Servus Dei usus est dum profugus Europam peragrabat. Tali successu frequentata est haec expositio ut, elapsa hebdomada ad hoc destinata, per aliquot dies protrahi debuerit. Ipso die 8 maii, multi pueri puellaeque qui in eadem via habitabant ubi est eius domus paterna ad ipsam cum convenissent serta suspenderunt circa lapidem memorialem qui frontem illius domus ornat.

Sequenti die dominica, in templo S. Francisci Xaverii, Missa Pontificalis celebrata est ab Exc.mo Archiepiscopo P. Giobbe, Internuntio Apostolico apud Gubernium Neerlandicum. Occasione illius commemorationis, omnes ephemerides catholicae et multa periodica articulos dedicaverunt Patri Roothaan fabulaque radiophonica transmissa est de eius vita. Actum est etiam de Servo Dei in contione habita occasione celebrationis restitutionis Hierarchiae catholicae in Hollandia cui restitutioni Pater Roothaan adlaboraverat.

Status causae Servi Dei, quae sat lente progredi videbatur, novos stimulos recens accepit et in eo est ut cito perveniatur ad *Introductionem*. Postea vero parabitur *Informatio* et *Summarium* pro

discutienda heroicitate virtutum. Non igitur fiet ullus Processus Apostolicus; nam causa procedit per *viam historicam* in qua *praeparatio documentorum* supplet testium declarationes.

Orandum igitur est ut labores *Sectionis Historicae* S. Rituum Congregationis festinanter et feliciter procedant.

* * *

Centenaria celebratio Sti Francisci Xaverii in Malacca. — Die 22 martii 1953 signabat quartum centenarium adventus corporis Sti Francisci Xaverii in Malaccam dum ex insula Sanchian ad Goam transfertur. Hac occasione, Reliquia Sti Francisci — pars ex ossibus brachii dextri in pulchra argentea capsa inclusa — missa erat via aerea ex Macao ad Singapore unde sollemnis pompa die 12 martii eam deduxit ad Malaccam, itinere 160 millium. Per ultimam itineris partem, magnus christianorum coetus ex Malacca eam comitatus est birotis et rhedis automobilibus: Reliquia vero in magno automobili curru S. Pontificis coloribus decorato vehebatur. In omnibus vicis et urbibus, dum transit pompa, populus stabat iuxta viam et ecclesiarum campanae laete resonabant.

Postquam in Malaccam ventum est, statim processerunt in summum collem Sti Pauli ubi sub divo, prope ruinas antiquae ecclesiae Societatis « N. D. de Monte », altare erectum fuerat. Haec ecclesia, anno 1565 exstructa, eodem loco surgebat quo antiqua ecclesia eiusdem nominis in qua S. Franciscus praedicavit et post mortem eius corpus per aliquot menses anno 1553 sepultum est. Exc.mus Episcopus Malacensis, postquam accepit Reliquiam e manibus sacerdotis qui eam iussu Episcopi Macaonensis transtulerat, ad populum frequentissimum contionem habuit et postea ei cum Reliquia benedixit. Postea per urbem processerunt ad ecclesiam Sti Francisci ubi exercitia pia triduana habita sunt. Totam diem populus concurrebat ad Reliquiam venerandam. Eaedem sollemnitates habitae sunt in ecclesiis Sti Petri et Stae Teresiae.

Die 14 martii, publica festa incepta sunt cum Exc.mus Episcopus Malacensis expositionem missionariam inauguravit in Conventu Iesu Infantis. Post pauca verba Episcopi, Pater Joy, Superior parvi coetus Iesuitarum in Malaya, texuit historiam Ecclesiae in Malacca ab adventu Albuquerque anno 1511 hucusque. Expositio vero eandem historiam oculis praebebat et praesertim conatum missionarium Societatis Iesu in mundo hodierno. Postquam sequentes dies variis pietatis exercitiis illustrati sunt, dies centenarius 22 martii celebratus est, praeterquam Missis matutinis in ecclesiis, inter quas multi Sacram Communionem acceperunt, sollemni pompa cum Reliquia ad collem Sti Pauli. Ei intererant quattuor Episcopi et multi Sacerdotes. Dum Apostolicus Nuntius in Indonesia, Exc.mus Archiepiscopus De Jonghe Pontificalem Missam decantabat, in diruta ecclesia, alii Episcopi litabant in altaribus sub divo erectis : populus vero plurimus summa devotione caerimoniis affuit.

Maxime populum commovit **spectaculum scenicum** de vita Sti Francisci, praecipue in Malacca, quod habitum est diebus 19 ad 22 martii in colle Sti Pauli. Spectaculum actum est a 400 personis, musico concentu et choro 100 hominum. Talis fuit eius successus ut toties prope 5000 hominum affuerint et propter multorum instantiam iterum perfici debuit die 24 martii.

* * *

Internationalis Congressus antiquorum alumnorum Collegiorum S. I. — Die 29 martii, habitus est in Collegio NN. Maximo Francofurtensi Conventus internationalis antiquorum alumnorum nostrorum Collegiorum. Litterae ad hunc Congressum invitantes et linguis latina, italica, hispanica, gallica, anglica, flandrica, germanica conscriptae, missae sunt ab Unione alumnorum S. I. Germaniae (Stellanervereinigung). Postquam memoratae sunt exhortationem qua S. P. Pius XII laicos ad apostolatum impellebat et difficultates communes diversarum nationum coram communismo, sic prosequebantur : « ... ad consilium commune invitamus deputatos omnes quondam alumnos omnium collegiorum S. J. ut nobiscum conveniant et consultent qua via *omnibus* nostris alumnis persuadeamus ut activitate sua Ecclesiae in discrimine versanti succurrant. Ex iis quae legati singularum nationum referent, discamus quomodo adhuc cum fructu laboraverint ! »

Huic invitationi respondentes, advenerunt die 28 vespere 150 circiter delegati ex Austria, Belgio, Germania, Helvetia, Hispania, Italia, Neerlandia et etiam unus ex Anglia et unus e Statibus Foederatis. Die 29 martii, post Missam celebratam a R. P. Provinciali Germaniae Superioris, Congressus rebus pertractandis incubuit duabus sessionibus maioribus. Primum, auditae sunt relationes delegatorum quibus genus et modum activitatis suae quisque Consociationis exponebant. Variae sententiae ita auditae sunt tum eorum qui Consociationem ita institutam extollebant ut quasi veram communitatem exhiberet inter familias alumnorum, tum eorum qui, ab omni determinatiore regula refugientes, formam praeoptabant magis liberam.

Secunda sessio inde statuit collaborationem internationalem pro tempore limitandam esse ad institutionem Secretariatus qui documenta et proposita colligeret quae aliis utilia esse possent. Postquam approbatum est consilium erigendi Consociationem Internationalem, statuerunt ut proximus Congressus anno sequenti in Italia fieret et de ratione talis collaborationis internationalis tractaret.

* * *

Vocationis missionariae glorificatio. — Ut praecipua inter sollemnitates quibus commemoratum est Centenarium Xaverianum in Provinciis S. I. Belgii, habita est Bruxellis, die 31 maii, nationalis glorificatio vocationis missionariae, sub signo et tutela Sti Francisci Xaverii. Haec celebratio ordinata est a concilio Superiorum Missionum Belgicarum, collaborantibus Operibus Pontificiis Missionum.

Die 30 maii vespere, Reliquia Sti Francisci, nempe pars brachii dextri, ab Ecclesia Cathedrali Mechliniensi ubi asservatur, cum magna pompa translata est Bruxellas in Basilicam S.mo Cordi dicatam. Die sequenti, in festo S.mae Trinitatis, celebratum est Sacrum sollemne ab Exc.mo D.no Morel, Archiepiscopo Soeiiünensis (Suiyüan, in Sinis), cui adstitit pontificaliter Em.mus Cardinalis Van Roey. E familiis omnium Missionariorum quibus caerimonia dicata erat, aderant in amplissimo templo fere 10.000 hominum et praeterea 10 Episcopi missionarii e diversis Congregationibus, Praelati et Abbates complures, necnon aliqui Regii Ministri et ipse praeses Gubernii.

Post meridiem, Laudes decantatae sunt et Reliquia honorata est in eadem Basilica. Deinde in duabus aulis festivis (pro diversitate lin-

guarum) habita est glorificatio ideae missionariae et sollemnis congratulatio parentum et praesertim matrum quae filios et filias pro Regno Dei dilatando obtulerunt. Cantibus et scaenicis operibus, apprime auditores commoventibus, interponebantur conciones a sacerdotibus et religiosis et territoriis Missionum qui gratum animum expresserunt sui cuiusque populi erga Missionarios et eorum familias. Ex parte auctoritatis publicae, orator quidam apud unumquemque coetum merita extulit Missionariorum qui ad cultioris vitae usum gentes Congolenses insigniter promoverunt. Denique matres Missionariorum acceperunt formosum numisma (cuius imaginem referimus) quod ad hoc unice recens excusum est ut eas insigniret et quod in posterum Missionarii in terras longinquas abeuntes parentibus suis offerre poterunt; iis vero quae tres aut plures liberos Ecclesiae dederunt, collatum est numisma « Pro Ecclesia et Pontifice ».

* * *

Novus Philosophatus Provinciae Neo Aurelianensis qui nuper sub patrocinio B. Mariae in coelum Assumptae, fuit erectum prope Mobile (Alabama) dedicatus est die 1 februarii 1953 ab Em.mo Cardinali Samuele Stritch. Dies inaugurationis sollemniter incepit Missa Pontificali, ab Exc.mo D.no Thoma I. Toolen Episcopo Mobiliensi celebrata, inter quam ipse Cardinalis contionem habuit. In ea, Em.mus Praelatus peculiare momentum huius Scholasticatus in ministerio partis meridionalis Statuum Foederatorum inculcavit. Aderant etiam Archiepiscopus Neo Aurelianensis et sex alii Episcopi quorum quisque Dioecesim habet in territorio huius Provinciae, multi quoque viri ex utroque clero una cum aliquibus Patribus omnium domorum Provinciae et nonnullis qui ex aliis Provinciis advenerant.

Per aliquot horas illius diei dedicatoriae, novum aedificium externis apertum fuit. Multi ex civibus Mobiliensibus, immo ex aliis civitatibus sat distantibus, libenter domum inviserunt. Post meridiem, aedes sunt a Cardinali Stritch sacro ritu benedictae et orationes habuerunt Exc.mus Toolen et R. P. Provincialis A. G. Grandell. Multum laudavit Episcopus Patres Societatis utpote qui bene in Dioecesi diu laboravissent. Pater vero Provincialis gratias amplissimas egit benefactoribus plurimis qui pecunias dederunt ut aedificium construeretur.

Benedictio SS. Sacramenti, sub divo celebrata, finem diei felici imposuit.

Postero die Missam celebravit R. P. Provincialis inter quam vota ultima emisit F. Coad. Burt Rivet. Iterum domus est aperta inspectioni externorum, praecipue Religiosorum. Vespere autem, Clerus Mobiliensis una cum Exc.mo Episcopo ad coenam hospites fuerunt. Postea spectaculum aliquod scaenicum a Scholasticis est exhibitum et, finita celebratione, tota communitas quae constat 11 Patribus, 74 Scholasticis et 4 F. Coadiutoribus, consuetum Scholasticatuum ordinem in nova sede iniit.

Hoc novum aedificium, ex omnibus domibus Provinciae Neo Aurelianensis primum est ad hoc praecise constructum ut serviret institutioni Nostrorum. Per multos annos enim, Scholastici ad studium Philosophiae peragendum se conferre debuerunt vel in Europam vel in Collegium Woodstock (Prov. Maryland.) vel in Collegium Sti Michaelis (Prov. Oreg.) vel in Collegium Sti Ludovici (Prov. Missour.). Ter tantum cursus Philosophiae in ipsa Provincia ad tempus tradi potuit. Tandem a. 1937, Scholasticatus constitutus est in vetere aedificio quod olim fuit « Schola Alta » Springhilliensis. In illo eodem fundo adhuc floret « Collegium » Springhilliense ab Episcopo Portier a. 1830 conditum et Societati a. 1847 traditum. Semper flagrabat ille zelo plenus Episcopus desiderio ut Collegio quandoque adscisceret Seminarium.

Crescente vocationum numero amplius meliusque providendum erat. Itaque propositum est novas aedes exstruere et pecunias ad obeundum impensis publice per territorium Provinciae petere, quod feliciter est factum. Novum aedificium, secundum artem et stilum modernum erectum, formam exhibet litterae T et constat 4 contignationibus. Propter structuram ex caemento et chalybe, periculum incendii minimum esse videtur. Habentur cubicula 125, sacellum domesticum pulcherrimum, auditorium, aulae scholasticae 3, bibliotheca, triclinium, culina, omnia optime apparatu moderno confecta et ad usus nostros aptata. Nosocomium ita est dispositum ut aegroti, ex 4 cubiculis, altare proprii sacelli facile conspicere possint. In domus vestibulo pendet magna et venusta imago B. Mariae V. Immaculatae, probabiliter ab Alonso de Tobar (1678-1758) depicta. In hoc vestibulo, ipsa die dedicationis multitudini invisentium exhibitus est ma-

gnus « Liber Benefactorum » in quo nomina 5000 largientium erant inscripta ad perpetuam rei memoriam. Intuitu obtinendi gradum academicum civilem, Philosophi adhuc intersunt scholis quibusdam Collegii Springhilliensis.

* * *

Labor socialis alumnorum Collegiorum Bilbaensis et Tutelensis. — Alumni Bilbaensis Collegii (Prov. Cast. Occid.), suam institutionem socialem ad praxim perficere et deducere conantur in primis frequenti visitatione familiarum operariorum pauperiorum. Singulis diebus dominicis circiter 70 alumni ex cursibus superioribus quaterni vel quini per turmas easdem familias visitant, duras vitae conditiones conspiciunt ac iis, quantum possunt, remedium afferre conantur. Etiam alumni cursuum inferiorum similes visitationes familiarum pauperum instituunt sive soli sive ab aliquo Patre comitati. Non pauci ex illis ultro oblectamentis et itineribus renuntiant, ut maiorem copiam pecuniae servare possint pro suis dilectis pauperibus. Hoc pacto praeterita aestate inter illos distribuere potuerunt 12.000 pesetarum; tempore vero Nativitatis, non solum pecuniam, sed et dona diversa, sive cibos sive vestimenta sat copiose pro illis collegerunt.

Aliqui vero ulterius etiam progressi sunt. Mos enim paulatim introducitur inter nostros alumnos invitandi ad propriam mensam puerum aliquem ex familiis ab ipsis visitatis. Puer autem ille pauper sedem omnino aequalem obtinet ac filii familiae immo non semel locum honoratiorem. « Prima vice qua ad me venit meus hospes pauper, refert quidam alumnus, equidem verebar, ne ob eius aspectum incultum nec satis mundum, mater mea moleste illum ferret. Id ut vitarem, primo meum hospitem in balneum duxi ut bene lavaretur; deinde eum induere feci vestimenta mea munda et calceos, quibus ille ita renovatus apparuit ut mater mea de eo valde contenta remanserit, et in posterum ipsa eum singulis f. V. ad nos vocandum curaverit ».

Fructus huius christianae caritatis non solum a nostris alumnis sed ab eorum etiam familiis iam feliciter colligi coepti sunt. Sic enim

scripsit mater quaedam ad Praefectum spiritus Collegii: « RVa vix intellegere poterit quam magnum profectum spiritualem domui nostrae attulerit, benedictus ille mos a RVa filio meo inculcatus. Hic in nostra familia, ex quo puer pauper ad nos venit, mutatio profunda facta est; gaudemus enim nunc intimiore vita familiae, maiore unione omnium, ac dulciore felicitate: quae quidem omnia equidem praemium dixerim a Deo nobis benigne concessum ob actus caritatis a filio meo peractos. Haec, si RVae videbitur, publici iuris facere potest ut magis magisque diffundatur haec christianae caritatis praxis ».

In his autem operibus Collegium qua tale suis alumnis exemplo praeire voluit. Nam die festo Sti Thomae, caelestis Patroni studentium, prandium adparavit pro 50 pueris pauperibus ex nostris « catechismis », quos etiam recreare curavit diversis ludis et certaminibus. Tempore prandii, nostri alumni alii mensis ministrabant, alii vero inter amicos sedebant ut cum iis colloquia miscerent.

In Collegio Tutelensi (Tudela — Prov. Cast. Orient.) alumni sodales Congregationis Marianae novam methodum apostolatus et formationis socialis aggressi sunt.

Cum viderent in suburbio civitatis tam misera pauperum tuguria, de novis domibus pro iis exstruendis cogitaverunt. Pecunia inter se ipsos et inter ceteros condiscipulos necnon apud externos collecta, areas et materias constructionis emerunt. Ipsi quidem opifices quibus domus erunt assignandae, constructores propriarum domorum sunt; sed alumni nostri, cum f. V a studiis vacant, voluerunt sese adiungere illis et alacri suo labore etiam ad exstructionem efficaciter conferre. Quin immo aliqui post examen finale, obtento iam baccalaureatus diplomate, in Collegio remanere voluerunt ut per aliquot dies labori constructionis harum domorum incumberent, in grati animi significationem erga B. V. Mariam pro felici successu studiorum. Hoc pacto 80 domus pro totidem familiis pauperibus exstructae sunt et postea aliae parabuntur. Notatu dignus est fructus talis activitatis cum in Exercitiis paulo post pro his alumnis Loiolae habitis, 18 eorum impulsi desiderio laborandi in rebus socialibus de ingredienda Societate egerint cum P. Magistro Noviciorum.

De novo Seminario Pontificio in Poona. — In praecedenti nostro fasciculo, nuntiavimus primum lapidem novi Seminarii Pontificii in India positum esse in Poona sed erronee additum est Seminaristas cursus audituros esse in Collegio de Nobili. Reapse, inter Domos Collegii De Nobili et Seminarii, exstruentur aedes ad Scholas destinatae ubi cursus Seminarii Pontificii ab aliis Religiosis et a Nostris audientur.

Nominati sunt:

R. P. Aloisius M. Coyne, Praepositus Viceprovinciae Bombayensis.

R. P. Ioannes Baptista Moyersoen, Praepositus Viceprovinciae Ranchiensis.


Pater Ioannes W. Hynes (1886-1953) (Prov. Neo Aurel.).

Eximius Christi miles, P. Ioannes W. Hynes in nosocomio Hôtel Dieu, Neo Aureliae, nocte 4 februarii 1953 pie in Domino obdormivit. Ortus est in urbe Elpasensi (Texas) die 24 iunii 1886. Vix 15 annos natus, nomen Societati dedit die 27 aprilis 1901.

Iam a principio, innatae eius egregiae dotes animi omnibus in Noviciatu Matisconensi manifestae sunt factae. Nam studiis ita se dedit ut et studia secundaria simul et cursum liberalium artium in Iunioratu 3 annis absolverit. Philosophia in Universitate S. Ludovici a. 1906-1909 absoluta, ab a. 1909 ad 1914 magisterium exercuit in Collegiis Immaculatae Conceptionis et Springhilliensi. Ad S. Ludovicum regressus a. 1914, Theologiam ibi peregit in nostra Universitate et sacris initiatus est die 27 iunii 1917 ab Exc.mo Archiepiscopo I. Glennon.


Tertio Probationis anno peracto, munere praefecti studiorum 2 annis in Collegio Springhilliensi functus est. Postquam vero S. Theologiae lauream in Universitate Gregoriana consecutus est, 4 annos (1923-1927) Apologeticam in Seminario Cardinalis Mundelein docuit. Cum autem eius Provincia virum insignem in Facultate Universitatis Loyola requireret, P. Hynes assignatus est decanus Scholae Artium ac Scientiarum usque ad a. 1931 quando eiusdem Universitatis Rector est renuntiatus.

Quo munere suscepto, ad hoc sibi prae omnibus adlaborandum



Nova domus Philosophatus Provinciae Neo Aurelianensis, sita prope Mobile (Alabama, U. S. A.).





Imago (eiusdem mensurae ac exemplar) numismatis pro parentibus Missionariorum (vide p. 200).

putavit ut haec unica societatis Universitas hac in regione ab illa consociatione educationis quae vocatur « Southern Association of Colleges and Secondary Schools » comprobaretur eidemque adscisceretur. Hunc ad finem tam strenue sapienterque laboravit ut non solum id feliciter procuraverit sed, quod mirum est, eiusdem Consociationis Vicepraeses electus sit a. 1932. Nomen P. Hynes ab Universitate Loyola in benedictione et grata beneficii memoria semper est habendum eo quod hic Rector, acuto rerum prospectu atque prudentia maxima, stationem Universitatis radiophonicam WWL vendere recusavit. Quod vero haec statio publicae auctoritatis approbationem obtinuit, eius conatibus debetur.

Cum autem a. 1936 Collegio Springhilliensi additus est Philosophatus NN., P. Hynes designatus est eius primus decanus. Sequenti vero anno, his muneribus munera coniunxit Praefecti generalis Studiorum in Provincia. In duo haec officia toto pectore incubuit, nam is non fuit qui moras interponere aut quiescere sciret.

Quod educator eximius agnitus fuerit, constat ex eo quod socius factus est plurimarum consociationum et catholicarum et acatholicarum.

Aliud quoque opus Societatis, sc. Exercitia spiritualia S. Ignatii, totis viribus promovit. Virtutibus duabus praecipue ad hoc pollebat sc. vi singulari res ordinandi et mira affabilitate ad animos sibi devinciendos. Eo Directore, Domus Exercitiorum Manresae integre renovata est. Eum pro amico quamplurimi habuerunt quippe qui eum scirent ad adiuvandos alios semper et ubique paratum. Nemo qui eum per angiporta urbis socius comitaretur mirari non potuit quot haberet amicos. Viros omnium ordinum, medicos, legisperitos, ostiarios, artifices, tabellarios etc. in via non tantum salutabat verum etiam de eis eorumque propinquis nominatim exquirebat.

Anno 1947, gravissimo tentari morbo canceris coeptus est. Post chirurgicam operationem, paulatim convaluit et Neo Aureliam rediit ubi munus Directoris Exercitiorum per telephonium quotidie continuavit. Quanta admiratione quantoque amore apud omnes gauderet P. Hynes, clare patuit occasione eius iubilaei cum circiter 800 Exercitantes Missae ab eo celebratae assisterent et Sacram Communionem reciperent. Quem pium actum renovarunt cum optimus Pater mortuus est. Nec minore aestimatione erat apud Nostros qui eam illi praesertim ostenderunt eum saepius Romam mittendo uti

Procuratorem vel Electorem ad Congregationes Societatis. Strenua eius fides, ardens caritas, sui abnegatio et sollicitudo de necessitatibus ac miseriis aliorum tota vita praeluxerunt. Ea maxime patuerunt in eius postrema longa aegritudine in qua Nostri et amici sine numero eum invisere gaudebant.

Eius funus honestarunt Exc.mus Archiepiscopus Neo Aureliae eiusque Episcopus Auxiliarius necnon Praelati, Sacerdotes, laici plurimi non modo catholici sed etiam protestantes et iudaei. De eo et quidem verissime scriptum est: « Et urbi quam amabat et fidei cui vitam dedit mors Patris Hynes magnum est damnum ».